

IULIUS FEMINAM PULCHRAM IN FORŌ TUSCULANŌ ASPICIT

Iulius et Aemilia in forō Tusculanō cum liberis suis sunt, quod necesse est cibum emere. Aemilia et Iulia adeunt ad tabernam in quā multae rosae venduntur, atque emere eas volunt; Marcus et Quintus autem aspiciunt tabernam in quā magni canes et aliae bestiae venduntur.

Iulius, qui rosis vel animalibus non delectatur, aspicit puellam quae, in aliā tabernā, vendit libros. Iulius eam puellam formosam et sē pulchrum virum esse putat, ergō ad eam adit et dicit: “Salvē, pulchra puella. Quot nummis constat hic liber?”

Dum Iulius multos libros emit, Aemilia Iuliae rosas, Marcō canem nigrum Quintōque canem album emit et Iulium exspectat. Aemilia sē interrogat: “Ubi est vir meus?”.

Ea Marcum et Quintum quaerere Iulium iubet, sed, cum sē vertit, Iuliam non videt. Aemilia perterrita est et dicit: “Iam filia mea quoque abest!” Et quaerit eam in forō, dum audit Iuliam canere. Aemilia eam vocat: “Iulia! Oh, ubi est filia mea?”

Iulius, qui Iuliae librum emit, Aemiliam clamāre audit et sē vertit. Aemilia videt Iuliam prope Iulium: iam quieta est et terget oculos, qui pleni lacrimarum sunt. Sed etiam videt Iulium spectāre puellam formosam, itaque dicit: “Num libri pulchri sunt?” Iulius ridet et respondet: “Libri non tam pulchri sunt quam femina mea...” Sed Aemilia Iulium pulsat atque cum Iuliā abit, dum puella ridet.

Sonia Falzone